

5. Atqui saepissime leges transgreditur; dist.: et hoc probat, certitudinem moralem non esse absolutam — conc.; nullam esse — nego.

6. Atqui constat, nos facile errare et in errorem induci; dist.: si imprudentes et praecepites assentimur — conc.; alias — nego.

### § 3. De existentia certitudinis.

(Scepticismus.)

1. *Notio*: Natura certitudinis explicata quaeritur, num existat. Duplex quidem distinguitur: *naturalis* vel *directa*, quae nititur motis evidenteribus experientiae vel facili modo concludendi in rebus obviis, quin perfecte reflectatur in motiva assensus; *philosophica* vel *reflexa*, quae inquirit in motiva certitudinis. Quaeritur, num utraque existat.

2. *Adversarii*: Sceptici saltem reflexam certitudinem reiciunt vel ex toto vel ex parte. a) Illi de omnibus dubitandum putant; ita iam Sophistae: Protagoras, Hippias, Gorgias (saec V. a. Chr.), confundentes cognitionem intellectualem cum sensitiva et omnia vera et falsa simul esse posse docentes, hominemque esse mensuram veritatis, quos Socrates [† 400 a. Chr.]<sup>1)</sup> praesertim impugnavit. Ipsos secuti sunt ex discipulis Platonis (saec. III a. Chr.) secunda schola Academiae ducibus Arcesilao, quem Lactantius „magistrum ignorantiae“ vocat, et Carneade, tertiae Academiae auctore, docentes nil certum esse, ad summum probabilitatem existere, cuius tres gradus distinguebant.<sup>2)</sup> Eodem tempore ex schola Aristotelica progressi sunt, qui vocantur proprie Sceptici, duce Pyrrhone (saec. III) et Timone, eius discipulo, qui nihil affirmandum, nil negandum esse dicebant, sed assensum in omnibus cohibendum, quos postea secuti sunt Aenesidemus Alexandrinus (saec. I a. Chr.) et Sextus „empiricus“ (200 p. Chr.), qui Pyrrhonismum restauravit, syllogismum ipsum et principium causalitatis reiciens.<sup>3)</sup> Rationes potissima septicorum erant: diversitas sententiarum, obscuritas rerum, timor errandi. — Postea Pascal, Michael de Montaigne (saec. XVI), Petrus Charron, Sanchez, Bayle eorum sententiam aliquo modo suscepserunt.

b) Qui ex parte certitudinem reiebant, vel *testimonium* sensuum i. e. ordinem *physicum* infitiabantur, ut iam Heraclitus, Leucippus, Democritus et Eleatici antiquitus faciebant; vel ordinem *metaphysicum* negabant, ut Sophistae et Epicurei veteres; posteris vero temporibus Empiristae, incipientes a Baco, Locke, Hume, praesertim Kant et moderni materialistae, Darwinistae omnes cum

<sup>1)</sup> Vide Cicero, Academ. I, 6, 47 et II, 7 10; Stöckl, Gesch. d. Phil. I, 64.

<sup>2)</sup> Vide Stöckl, I. c. I, 171 sq. <sup>3)</sup> I. c. p. 177; Geyser, Das philos. Gottesproblem, 1899, p. 36 et 275 sq. Mercier, Critériologie générale, 1899, p. 60 sq.

Spencer, St. Mill, Bain, Comte, Taine, Ribot negantes certitudinem existere absolutam, immutabilem. Alii tandem certitudinem *moralem* negant, praesertim in rebus fidei, ut Rationalistae. — Species quae-dam scepticorum non negat certitudinem naturalem directam, quam instinctu et fide quadam naturali nos amplecti et ad vitam retinendam esse docent, sed cognitionem reflexam omnia in dubium vocare; sic iam Hume et Bayle et nostris temporibus Ausonio Franchi Italus.<sup>4)</sup>

*Thesis X: Scepticismus universalis repugnat.*

Prob. 1. *Repugnat testimonio conscientiae*. Experimur necessitatem internam assentiendi firmiter veritatibus multis immediate vel etiam mediate evidenteribus vel testimonio sensuum comprobatis. Atque hae veritates pertinent tum ad ordinem metaphysicum, tum physicum, tum moralem.) Nobis simul concii sumus, hanc necessitatem non esse mere subiectivam ex caeco quodam instinctu, sed oriri ex rei ipsius evidentia clare perspecta. Atqui quod necessitate naturae et conscientia nostra comprobatur, neque falsum esse neque rejici potest. Ergo scepticismus universalis repugnat factis nobis *internis*.

2. *Repugnat experientiae externae*: Constat, omnes homines sentiendo, cogitando et agendo<sup>2)</sup> naturalem quandam certitudinem sequi, sine qua nullum negotium fieri, nulla vita privata vel socialis esse posset. Neque sceptici negant vel effugere possunt hanc certitudinem naturalem, sicut Pyrrho, princeps scepticorum canem rabidum fugiens, et Diodorus, humero fracto medicum advocans, ipsi testabantur. Atqui quod in omnibus hominibus invenitur, ad naturam pertinet ac proinde nullo modo abjici potest. Ergo repugnat scepticismus universalis factis etiam nobis *externis*.

3. *Haec doctrina in se repugnat*: a) Nam axioma illud: de omnibus est dubitandum, aut verum est aut falsum, aut certum est aut probabile. Si certum: ergo existit saltem aliqua certitudo; si probabile: ergo est distinctio inter certum et probabile, quia formidinem erroris habent; unde saltem possibilitas erroris certa est. — Accedit, quod, qui dubitat, eo ipso affirmat se esse, sibi conscient esse de dubio, statum dubii aliiquid certi esse supponit. Proinde sibi ipsi contradicunt explicite negantes, quod implicite affirmant vel saltem supponunt.<sup>3)</sup>

b) Qui vero principium contradictionis in dubium vocant, eo ipso distinguunt inter verum et falsum ac supponunt, verum et falsum non simul esse posse. Unde implicite affirmant principium contradictionis.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Cfr. Stöckl, Lehrbuch der Philos. I, p. 290 sq.; A. Schmid, Erkenntnisproblem, I, 66 sq. <sup>2)</sup> Cic. Acad. II, 7—9. <sup>3)</sup> Cfr. Aristot. metaph. III, 5—8; Augustinus, De Trinitate, X, 14; Civit. Dei, XI, 26; De vera religione, 39 n. 72; Contra Academicos, III, 26. <sup>4)</sup> Cfr. Summa philosoph. Alamanni, 1894, Parisiis, III, p. 40 sq., I. qu. 28, art. 1.

c) Qui autem certitudinem naturalem admittunt, debent etiam reflexam seu philosophicam admittere; nam obiectum, media, principia cognoscendi sunt eadem. — Si verum esset, quod Hume, Jouffroy, Franchi volunt, mentem reflectentem destruere certitudinem naturalem, esset contradicatio in natura hominis; mens homini potius malum esset et causa internae discordiae perpetuae neque apta ad vitam ordinandam, cum experientiae naturali continuo repugnaret. Dergant dignitati hominum, quos sicut bestias instinctu quodam caeco in vita communi, non ratione duci putant.

*Obi.* : I. Contra primam partem: 1. Dicunt, se de omnibus dubitare, et veraces praesumendi sunt; dist.: dicunt quidem, sed se ipsos decipiunt — conc.; dicunt, et vere dubitant; subd.: eo ipso aliquid certi affirmantes, conc.; alias — nego.

2. Atqui vere se dubitare dicere possunt; nam intellectus est ex natura sua fallibilis; dist.: per se — nego; per accidens — conc.

3. Atqui per se est fallibilis; nam solus Deus est per se infallibilis (Lammenais); dist.: per se et a se, i. e. imparicipate — conc.; homines non saltem participate infallibles sunt — nego.

4. Atqui homo nullo modo est infallibilis; nam certitudo naturalis saepe fallit; dist.: mere subiectiva — conc.; formalis — nego.

5. Atqui etiam formalis, nam non potest distingui a subiectiva; dist.: nonnunquam — transeat; nunquam — nego.

6. Atqui nunquam possunt distingui; distinctio enim fieret reflexione; certitudo autem reflexa supponit directam; dist.: perfecte reflexiva (in actu signato) supponit directam — conc.; imperfecte (in actu exercito) — nego. Vel sic: reflexa supponit aliquam directam — conc.; eam, quae adhuc probanda est — nego.

II. Contra secundam partem: 1. Scepticismus non involvit contradictionem, quia nil affirmat, nil negat; dist.: si nil omnino dicit — conc.; si nil certi dicit, subd.: explicite nil affirmat — transeat, implicite — nego.

2. Atqui neque implicite sibi contradicere probari potest, quia probando certa quaedam (principia formalia et materialia) adhibere debes; dist.: saltem ea, quae scepticus ipse adhibet — conc.; alia — iterum dist.: quae probatione indigent — nego; ex se evidenter — conc.

3. Atqui iure scepticus ab assensu certo abstinet, si quidem ab errore distingui nequit: Nam Michael de Montaigne videtur recte ratiocinari: Aut scis te errare, aut nescis; si primum, impossibilis est error, quod repugnat experientiae; si alterum, nunquam excluditur formido erroris. Ergo nunquam constat de certitudine.

Resp. 1<sup>o</sup> Nego disjunctionem, et addo tertium membrum: aut scio me non errare.

2<sup>o</sup> Retorquo: aut scio me errare, et tunc adest certitudo; aut nescio me errare, et tunc inquirro, usque dum vel de vero vel de falso constet.)

#### Thesis XI: Dubitatio universalis methodica est reprobanda.

St. qu. 1<sup>o</sup> Sunt qui certitudinem existere non negent; putant autem ad eam inveniendam, ne falsi quid supponatur, omnia demon-

stranda esse, et hoc vocant dubium methodicum. Quorum alii omnia in dubium *reale*, ut Hermesius<sup>1)</sup>, per 20 annos professor Bonnensis, alii in dubium fictum, uti Cartesius,<sup>2)</sup> vocanda esse arbitrabantur. Illi omni certitudine naturali et fidei abiecta, hi certitudinem naturalem de facto retinentes quidem, sed hic et nunc abstractantes ab ea, omnia et prima principia probare conati sunt.

2<sup>o</sup> Statuimus, quaedam esse ita certa et evidenter, ut neque in reale neque in methodicum dubium revocari possint; quaedam vero certa non realiter, sed methodice, alia vero nondum certa tum realiter tum methodice in dubium vocari posse. Initium philosophiae esse quandum certitudinem naturalem, cuius fundamenta et rationes attentione reflexa investiganda, non in dubium vocanda sint.<sup>3)</sup> Iisdem argumentis dubitatio universalis tum realis, tum methodica reicitur, et probatur, non omnia posse vel debere probari.

Prob. 1. *Ex natura demonstrationis*: Demonstratio est argumentatio legitima, ex certis et evidenter principiis. Unde demonstratio, ut sit legitima, supponit a) principia formalia, i. e. leges cogitandi ac proinde totam dialecticam; deinde b) supponit principia materialia, i. e. praemissas certas et evidentes, ex quibus conclusio deducatur. Qui igitur de omnibus dubitat, etiam illa principia in dubium vocat ac proinde probare debet. Atqui illa principia probari non possunt, si quidem in probatione supponuntur.<sup>4)</sup> Ergo non possunt in dubium vocari, neque indigent probatione.

Nota: Argumentum valet pro demonstratione tum directa tum indirecta, quae ostendit, contradictiorum repugnare certis quibusdam veritatibus; unde iterum et principia formalia et materialia supponuntur.

2. *Ex evidentiis principiorum*: Dubitatio tum realis tum methodica universalis impossibilis est, si mens de quibusdam veritatibus cogitans eo ipso eas necessario certas et evidentes esse perspicit. Atqui teste conscientia et consensu hominum sunt eiusmodi veritates, quae mentem physice vel saltem logice necessitant, e. g. prima principia, veritates mathematicae obviae. Ergo dubitatio illa universalis impossibilis est.

3. *Ex natura intellectus*: Obiectum formale intellectus est verum. Atqui ratio veri non est neque in dubio neque in opinione, sed in statu certitudinis. Quare obiectum formale intellectus debet esse verum, inquantum est certum. Si autem incipienda est cognitionis a dubio universalis, obiectum eius formale potius esset dubium.

<sup>1)</sup> Vide Kleutgen, Philosophie der Vorzeit, num. 224 et 285 etc. <sup>2)</sup> De methodo, p. 4. <sup>3)</sup> Cfr. S. Thom. In lib. 3 metaph. lect. 1. <sup>4)</sup> Cfr. Thom. de veritate qu. 11 a. 1.

*Ergo illa dubitatio universalis est reprobanda, quia repugnat naturae mentis.*

4. *Ex absurdo*: Nisi quaedam certa admittuntur, non possumus ullo modo pervenire ad certam aliquam cognitionem; nam si omnia probanda sunt ex aliis veritatibus, procedendum est in infinitum. *Atqui* hoc repugnat, et ipsi adversarii admittunt, immo conantur probare quasdam certas veritates. *Ergo* ante omnem demonstracionem quaedam certa admittenda sunt neque ullo modo probanda.

*Obi.*: 1. Sed tunc assensus in illas veritates non probatas videtur:

a) esse caecus; dist.: caecus esset, si veritates illae ex se non essent evidentes — conc.; quia non probantur, cum non indigeant probatione — nego;

b) esse assensus praestitus ex instinctu; dist.: ex necessitate sola subiectiva — nego; ex necessitate subiectiva orta ex obiectiva, i. e. ex rei evidencia — conc.

2. Atqui philosophi est omnia probare; dist.: quae probatione non indigent — nego; quae probatione egent — conc.

3. Atqui admittere aliquid sine probatione est petitio principii; dist.: si illae veritates ex se probarentur — conc.; cum sint evidentes — nego.

4. Atqui tunc certitudo philosophica non differret a vulgari; dist.: quoad essentiam — conc.; quoad perfectionem — nego.

5. At tot philosophorum dissensiones docent, de omnibus esse dubitandum; dist.: quae nondum sunt probata — conc.; de evidentibus, subdist.: si de evidentibus possit esse realis vel methodica dubitatio — conc.; cum de evidentibus vere non possit realis esse vel methodica dubitatio — nego. S. Thomas (2 Metaph. lect. 1) cum Aristotele hoc explicat exemplo hominum, qui omnes facile portam domus inveniant, non vero tam facile omnia interiora domus.

*Thesis XII: Veritates primae et fundamentales in omni cognitione sunt: existentia propria — factum primum; principium contradictionis — principium primum; aptitudo mentis ad cognoscendum — conditio prima.*

*St. qu. 1º* Ostendimus, tum scepticismum tum etiam dubitatem methodicam universalem esse reiciendam ac proinde certitudinem aliquam naturalem nullo modo probandam debere existere. Quaeritur nunc, num et quae sint veritates primitiae omnino certae, quae supponuntur in omni cognitione. Non quaeritur, num in ordine ontologico aliqua veritas primitiva existat, quae sit fundamentum aliarum, sed quaestio est de ordine logico, i. e. in iudicio subiective et obiective spectato. Neque quaeruntur causa ultima efficiens vel materialis iudicij, seu eius fontes vel criteria vel motiva, quae diversa sunt pro diversitate iudiciorum (e. g. arbor viridis est; Deus existit); sed inquirimus, num aliquae veritates et quae lateant aequo modo in omni omnino iudicio tanquam eius fundamentum, et affirmamus esse saltem tres in thesi positas.

2º Iam vero duplice modo possunt per se in omni iudicio adesse: *explicite* et *implicite*. Cum vero sint fundamentum, sufficit ut implicite adsint, ita ut reflexione mentis inveniri, immo obiectum immediatum cognitionis reflexae fieri possint, non quidem simul in eodem actu, sed successive. — Addendum est, primas illas ac fundamentales veritates non solum in iudicio certo, sed etiam probabili, immo falso supponi et requiri. — Adversarii sunt, ut patet, sceptici.

I. *Tres illae veritates in omni iudicio latent, i. e. supponuntur et requiruntur.*

*Prob. 1: Ex natura iudicij*: In omni iudicio mens subiecto tribuit praedicatum non modo caeco, sed ex rationibus certis vel saltem probabilibus; quod etiam fit in iudicio falso, in quo praedicatum subiecto saltem propter rationes apparerter veras tribuitur. *Atqui* mens non posset subiecto tribuere praedicatum, nisi implicite quidem, sed certo simul cognosceret et affirmaret, *se ipsum*, non alium apprehendere subiectum et praedicatum, eorumque facta comparatione videre identitatem vel certam vel probabilem vel saltem apparentem eamque proinde affirmare vel negare. Nisi enim se ipsum apprehenderet iudicantem, nulla esset ratio, cur ipse se iudicare putet sibi tribuat, si ex defectu suo iudicium forte falsum vel temerarium vel iniuriosum vel contra religionem moresque formaverit. Apprehendit igitur et quidem certo, licet implicite et indirecte, suam existentiam — *factum primum fundamentale* idque non per modum conclusionis, sed immediate in et cum actu per conscientiam.

2. Deinde affirmando vel negando nexum inter subiectum et praedicatum vel certum vel probabilem, eo ipso apprehendit et affirmat, esse discrimen inter certum et probabile, inter verum et falsum, neque posse idem simul verum et falsum, certum ac probabile esse; secus enim nulla esset ratio hoc vel illo modo iudicandi. Apprehendit igitur et affirmat, licet indirecte et implicite, certo tamen principium contradictionis — *primum principium*.<sup>1)</sup>

3. Denique praestando assensum certum vel probabilem, affirmando vel negando nexus, eo ipso, licet implicite, certo tamen cognoscimus et affirmamus, mentem iudicantem aptam esse ad verum et falsum, certum et incertum cognoscendum; alioquin iterum non esset ratio indicandi. *Ergo* etiam aptitudo mentis — *prima conditio ad cognoscendum* — in omni iudicio adstruitur.

II. *Tres illae veritates certae sufficiunt tanquam fundamentales in omni iudicio.*

*Prob. Per conclusionem*: Tres illae veritates certae sufficiunt tanquam primae in omni iudicio, si nulla alia, analysi actus cogni-

<sup>1)</sup> Aristot. metaph. III, 4 (ed. lat. Berol. 1831).

tionis instituta, invenitur. *Atqui* nulla alia invenitur; nam actus ipse cognitionis eiusque conscientia, licet sint necessaria, sunt tamen solum exercitum seu applicatio primae conditionis sc. aptitudinis mentis neque possent existere, nisi hac supposita; deinde principium contradictionis non est nisi principium identitatis positive et negative expressum modo logico; denique principium rationis sufficientis supponit principium contradictionis, quod etiam de principio causalitatis dicendum est, ut in ontologia ostendemus.<sup>1)</sup> Ergo tres illae veritates sufficient.

III. Tres illae veritates sunt vere fundamentales, i. e. ad alias reduci et ex aliis explicari non possunt.

*Prob.* 1. Sunt vere fundamentales, si demonstratione non egent. *Atqui* demonstratione non indigent. Qui enim illas negat vel in dubium vocat, eo ipso affirmat, licet implicite, se a falso cognito refugere; ergo iam affirmat se, i. e. suam existentiam. Deinde affirmat discrimen inter verum et falsum, i. e. principium contradictionis; tandem affirmat eo ipso, mentem suam posse distinguere inter verum et falsum, ac proinde affirmat eius aptitudinem cognoscendi. Ergo tres illae veritates sunt vere fundamentales.

2. Porro demonstrari nequeunt, quin supponantur; et primum quidem omnis affirmatio vel negatio supponit existentiam mentis affirmantis vel negantis, et esset petitio principii ex actu cogitandi inferre existentiam cogitantis. Deinde si principium contradictionis non supponitur, idem posset eodem tempore esse verum et falsum, certum et incertum, ac proinde nulla esset ratio iudicandi. Si tandem aptitudo mentis ad verum et falsum, certum et incertum distinguendum non supponitur, impossibile iterum est, quidquam affirmare vel negare. Ergo illae tres veritates supponuntur in omni cognitione ac proinde sunt vere fundamentales.

3. Tres illae veritates ad simpliciores reduci non possunt; nam sunt primae unaquaque in suo ordine. Existentia enim nostra tanquam primum factum in *ordine subiectivo* praecedit omnem actum cognoscendi; in ordine vero *logico* aptitudo mentis ad cognoscendum supponitur in omni cognitione; in ordine tandem *ontologico* principium contradictionis oritur immediate ex notione entis, quae est omnium prima, aliaque omnia principia tandem reducuntur ad principium contradictionis. Unde apparet ordinem *logicum* intermedium esse inter subiectivum et ontologicum, utrumque coniungere in actu cognitionis. Ergo tres illae veritates certae sunt vere fundamentales in omni cognitione.

<sup>1)</sup> Quartam hanc veritatem Wohlmuth, Lehrb. d. Philos., 1905, p. 290 sq., addendam esse putat.

*Coroll.* Ex dictis patet, *Cartesii* (1596–1650) tum dubitationem methodicam<sup>1)</sup> reiciendam esse, tum veritatem fundamentalem ab eo statutam non sufficere. Videns tot errores et dissensiones, ut novum fundamentum philosophiae inveniret, statuit de omnibus, etiam de evidentibus, dubitandum esse, cum malus daemon semper nos decipere posset. Sed dubitando incidit in veritatem aliquam indubitabilem: *Cogito, ergo sum*; unde hoc principium omnis certitudinis constituit et criterium: quidquid clare et distincte percipitur, verum est.<sup>2)</sup> Ut vero malum genium prorsus excludatur, probat Dei existentiam ex clara idea Dei summe boni, qui nos decipi non patiatur. — Sed supponuntur a Cartesio, quin advertat, multae certae veritates: 1) iam in thesi sua de dubio methodico statuenda: homines existere, saepe errare, conscientiam veram esse, mentem verum a falso distinguere posse existere certam veritatem, discrimen inter verum et falsum; 2) in systemate probando: a) est petitio principii: cogito, ergo sum; supponit enim leges cogitandi, neque licet ex idea Dei subiectiva eius existentiam obiectivam inferre; b) unde est illa idea Dei clara et distincta? cur vera est? c) criterium veritatis (idea clara et distincta) est prorsus subiectivum neque falsum excludit, e. g. idea clara centauri; d) est circulus vitiosus, ex Dei clara idea existentiam Dei, et ex bonitate Dei existentis veritatem ideae clarae et distinctae concludere.<sup>3)</sup>

*Obi.:* Tres illae veritates non sunt fundamentales implicite contentae in omni cognitione; nam 1. sunt veritates sine illis certae; e. g.  $2 + 2 = 4$ ; dist.; obiective certae — conc.; subiective — nego; agitur enim de *actu cognitionis*. — Deinde nego suppositum, quia tres illae veritates latent etiam in iudicio probabili et erroneo.

2. Atqui sunt etiam subiective certae sine illis; secus illae tres veritates in omni cognitione simul cognoscerentur; dist.: implicite — conc.; explicite — nego.

3. Atqui etiam explicite; nam sunt causa cognitionis; dist.: causa motiva — nego; fundamentalis — conc. Sic fundamentum domum sustinet, licet non videatur.

4. Atqui neque sunt fundamentum cognitionis: a) non propria existentia; nam non est fundamentum aliarum veritatum, e. g. existentiae Dei vel  $2 + 2 = 4$ ; dist.: non est fundamentum ontologicum — conc.; logicum — nego.

5. Atqui neque est fundamentum logicum; nihil enim cognoscibilitatis afferit; dist. tanquam causa motiva — conc.; tanquam fundamentum — nego.

6. Atqui saltem principium contradictionis non est primum; nam supponit principium identitatis; dist.: ontologice — conc.; vel potius idem est; in ordine logico — nego.

7. Atqui etiam in ordine logico; nam in iudiciis identitas subiecti et praedicati affirmatur; dist.: in negativis — nego; in affirmativis subd.: identitas affirmatur et possilitas oppositi simul negatur — conc. alias — nego.

8. Atqui negatio possilitatis oppositi non fit sine ratione sufficienti; ergo hoc principium supponitur; dist.: tanquam fundamentum proximum reducendum ad illud contradictionis — conc.; tanquam ultimum — nego.

<sup>1)</sup> De methodo, IV; Meditat. de prima philosophia I; Princ. philos. I, 13.

<sup>2)</sup> Medit. III; Princ. phil. I, 45, 49. <sup>3)</sup> Cfr. Philos. Jahrb. 1900, p. 109 sq.

9. Atqui aliae veritates sunt fundamentales: a) sensatio; dist.: est causa ultima materialis — conc.; fundamentalis — nego; b) abstractio; dist.: est causa ultima efficiens — conc.; fundamentalis — nego; c) determinatio obiecti; dist.: est causa ultima coefficiens vel materialis — conc.; fundamentalis — nego; d) conscientia; dist.: est conditio necessaria — conc.; fundamentalis — nego.

10. Atqui saltem Dei existentia est causa fundamentalis; dist.: in ordine essendi — conc.; in ordine intelligendi pro nobis — nego.

11. Atqui etiam in ordine intelligendi (logico); nam Dei intellectus et essentia sunt causa et mensura rerum; dist.: divinus intellectus est causa exemplaris rerum obiectiva — conc.; subiectiva pro nobis — nego; item divina essentia est fundamentum obiectivum — conc.; subiectivum — nego.

12. Atqui debent esse et causa exemplaris et fundamentum subiectivum cognitionis; nam Deo negato ruit omnis veritas: dist.; consequenter et mediate — conc.; directe et immediate — nego. Nam Dei intellectus vel essentia non est immediatum obiectum et criterium nostrae cognitionis, uti Ontologistae somniantur.

### Liber secundus: De fontibus veritatis.

1. *Notio fontis veritatis*: Natura veritatis et certitudinis eiusque existentia explorata quaeritur, quomodo acquiratur, quae sint media cognitionis. Duplex autem medium distingui potest: medium *quod* et medium *quo*. Medium *quod* seu *obiectivum* est illud, quod prius cognitum nobis manifestat alias veritates, et hoc praecipue vocatur fons veritatis. (Quamvis omnis fons cognitionis simul sit etiam aliquod criterium et motivum veritatis, ab eis tamen ratione distinguitur; existit quidem unum supremum criterium et motivum veritatis, non vero unus fons omnis cognitionis. Distinguitur etiam a conditione, quae non est causa cognoscendi, e. g. sanitas oculi, et a fundamento, quod non explicite cognoscitur, sed in quo *ultimo* assensus nititur; fons vero explicite cognoscitur, et est ratio *proxima* assensus.)

2. *Divisio*: Triplex vero fons cognitionis distinguitur: a) *Experientia*, quae subdividitur in externam et internam; b) *intelligentia*, quae comprehendit ideas et ratiocinia; c) *auctoritas*, quae aut humana est aut divina.

Mediis illis obiectivis cognoscendi respondent totidem media subiectiva, quae etiam fontes vocantur, *quibus* veritates immediate attinguntur, quin ipsa prius cognoscantur. Haec vero *media quo seu subiectiva* iterum dividuntur in primaria et secundaria. *Primaria* sunt ipsae facultates cognoscendi, pro experientia interna: *conscientia*; pro experientia externa: *sensus*; pro ideis: *intellectus*, pro ratiociniis: *ratio*; pro auctoritate: *fides* vel *naturalis* vel *supernaturalis*. Media quo *secundaria* sunt psi actus harum facultatum, quibus ob-

iecta vera ipsa exhibentur, et omnia quae ad illos actus tanquam media necessaria sunt, e. g. vibrationes lucis ad videndum; aëris ad audiendum. — Iam singulos fontes consideremus.

### Caput I: Fons experientiae.

#### § 1. Experientia interna sive conscientia.

1. *Notio et existentia conscientiae*<sup>1)</sup>: a) Per experientiam internam constat, nos non solum videre, sentire obiecta, intelligere verum, velle bonum, sed etiam nobis *consci* sumus, nos videre, sentire, intelligere, velle, idque *eodem* actu, quo obiecta videimus, intelligimus, volumus. (Omnis enim actus cognoscendi et appetendi dupli modo considerari potest: *obiective*, in quantum obiectum exhibit, et *subiective*, in quantum nos ipsos afficit et quodam modo immutat.<sup>2)</sup> Utrunque est obiectum cognitionis nostrae: primum est obiectum *directum et expressum*, alterum vero est *indirectum et implicitum* (in actu exercito). Cognitio autem, qua hoc modo subiectivo et indirecto actus nostri interni nobis innescunt, vocatur *conscientia* (i. e. con = simul — scire).

b) *Ex natura et fine* illorum actuum patet eiusmodi conscientiam nobis necessariam esse. Neque enim sufficit, ut illi actus quocunque modo adsint, sed requiritur, ut sciamus, eos ad nos pertinere tanquam nostram affectionem vel perfectionem, nostrum bonum vel malum, ut vita nostra et sensitiva et intellectualis et moralis inde perfici possit. Neque enim ex se ipsis finem attingunt sicut actus vegetativi, quos conscientia non refert, sed in quantum obiecta nobis repraesentant vel appetenda vel fugienda e. g. famem ut *nostram*, periculum ut *nostrum*, actionem bonam ut *nobis*, non aliis exercendam. Atqui actus directus per se et directe non exhibit nisi obiectum a nobis distinctum. Ergo opus est cognitione, quae actum ipsum tanquam *nostrum* nobis manifestat.)

<sup>1)</sup> Cfr. Aristot. metaphys. XII, 9, ubi tamen conscientia directa a reflexa non satis distinguitur; idem dicendum esse videtur de s. Thoma, S. Theol. I, qu. 87, a. 3; et qu. 79, a. 13. Philos. Jhrb. 1904; Heft 1—3; 1905, Heft 1—3 Dyroff: „Das Ich u. d. Wille; Das Ich u. Empfindung, Vorstellung, Bewusstseinslage; Der Ichgedanke“. <sup>2)</sup> Moderni hanc distinctionem saepe negligunt, unde magna confusio irrepsit. Sic Kant: „Erscheinung, Gegenstand der Erfahrung“ idem habet: „Die äusseren Gegenstände sind nichts anders, als blosse Vorstellungen unserer Sinnlichkeit“. Wundt: „Die Vorstellung des gesehenen Gegenstandes ist eins mit dem Gegenstand selbst“. Logik <sup>2</sup>, I, 424; cfr. E. Fischer, Theorie d. Gesichtswahrnehmung, 1891, p. 197 sq.